Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarivm sacri ordinis Cistercien[sis] - Cod. Lichtenthal 133

[Lichtenthal ?], [1570 Druck; Handschrift 2. Hälfte 16. Jh.]

Erklärung

urn:nbn:de:bsz:31-40615

Visual Library

Intellectus tonorum antiphonis adiectorum.

Antiphonis iūgitur in fine numerus rubeus, tonos ipſarum denotās. Et quia plerique toni ſunt duplices: primus per literam chiffre ſignatus eſt: ſed ſecūdus per numerum latinum deſignatur: preter primi toni differētiam que tali ſigno infra cognoſcetur. Antiphonis alleluia, duo iunguntur numeri, primus quoties alleluia: ſed ſecundus tonum notificat.

Chiffre numerus ſic cognoſcetur per numerum latinum correſpondentem.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
j	ij	iij	iiij	v	vj	vij	viij	ix	x	xj	xij	xiij	xiiij

Quando volueris recipere ſacramentum euchariſtie dic ſequentem orationem.

Omnipotens ⁊ miſericors deus, ego miſer ⁊ fragilis peccator non ſum dignus vt intres ſub tectū meum: ſed confiſus de tua clementia et pietate, accedo ad ſacramentum pretioſiſſimi corporis et ſanguinis vnigeniti filij tui dn̄i noſtri ieſu chriſti. Accedo tanquā infirmus ad medicum vite, ſicut nudus ad regē glorie, immundus ad fontē miſericordie, pauper ad dn̄m celi ⁊ terre, cecus ad lumē claritatis eterne, ⁊ ſicut creatura ad ſuum creatorē. Rogo ergo tue largitatis abundantiam, quatenus meam digneris ſanare infirmitatem, veſtire nuditatem, lauare feditatem, ditare paupertatem, ⁊ illuminare cecitatem, ⁊ tenebras meas: vt te panem angelorum, regem regum ⁊ dominum dominantium, tanta ſuſcipiam reuerentia ⁊ timore, tanta contritione ⁊ deuotione, ⁊ tanta puritate ac fide, tali propoſito ⁊ humilitate, ſicut expedit ſaluti anime mee. Da mihi queſo domine illius dominici corporis ⁊ ſanguinis vnigeniti filij tui non ſolum ſumere ſacramentum, ſed etiam virtutem ſacramenti. O mitiſſime deus da mihi ſic ſuſcipere pretioſiſſimum corpus chriſti, quod de virgine maria traxit pure, vt corpori ſuo myſtico merear incorporari: ac inter eius membra connumerari. Concede mihi pie pater dilectum filium tuum, quem nunc velatum ſuſcipere propono, tandem reuelata facie contemplari. Qui viuis ⁊ regnas ⁊c.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg